

tales facilem habuere partum; unde pro exemplo puerperis esse non debent. Sane vituperio digna nonnullorum virorum, ne quid gravius dicam, incivilitas est, qui cum talia a quibusdam fœminis fieri vident, & suas uxores, laborum in partu differentiam non attendentes, facere volunt; imò vel pro uxoribus suis puerperis decumberent, & uxores sibi ministrare juberent, veluti olim fecere Tibareni, teste *Apollonii Rodii scholiaste lib. 2. sect. 31. & Cœlio Rhodigino lib. 18. antiq. lect. 30.* ut & *Hartungo decad. 1. cap. de ritibus.* Quod & hodie in Brafilia fieri autor est *Guilhelmus Piso lib. 1. med. Brasil. p. 3.*

Peractâ tamen lochiorum evacuatione sensim surgere queunt, & paululum deambulare ad partes confirmandas. Nunquam tamen ante diem quadragesimum exeant.

BALNEORUM usus non inconueniens est, tum ad abluitionem sordium, tum etiam ad roborationem; idque postquam lochiorum fluxus desit; nisi mulier phlegmatica sit, multisque crudis humoribus abundet. Quibusdam in locis post balneum utuntur suffumigiis, ad facilitandam iterum conceptionem.

Nostræ mulieres, quamvis nec balneo, nec suffitu utantur, nihilominus tamen iterum probè concipiunt.

In **SOMNO & VIGILIIS** modus tenendus: ad somnum tamen declinare melius est.

EXCRETA & RETENTA etiam medium teneant: si ad alteram extremitatem vergant, prudentis medicî consilium adhibendum est.

Hisce finem facimus.

Tibi omnipotens, æterne, atque immortalis Deus, gratias agimus perennes, pro benignâ in studiis nostris hucusque suppeditatâ opera. Adsit porro nostris cœptis tua clementia, quo tum reliqua quæ nobis proposuimus, feliciter perficere queamus, tum de gravissimis morborum insultibus triumphantes *Invicta* sapius decantare queamus.

Tu quoque, benevole Lector, illa quæ festinantes in magna temporis penuria proposuimus, candido accipe, atque interpretare animo. Si quæ forsan prætermissa, aut negligentius

tius